



Adel zu
an dem 6ten Ho.

5 Me zu Off. Li

Angewandtes



MEMENTO MORI

Omnia mundana somnia sunt vana:

Christe fili Dei Misere mei.

Oia debentur Morti: cum venerit hora

Non vlli profunt As sua Scepta Ligae

Dum vivis bene Vincit post funera nosa

Quis fuerit Princeps Ruydas aut Sapientis.

Caesar Forbergii Gloricensis

Ab. 112. 12. XXXI.


M. vltimis die XIX.

Sim. exhb. Christoph. Andrea

11
b

Aliter scripsera uia
tuis, aliter uir pro
bus & integer.

v. Martij a repara:
ta salute ad 98.
Scribentur christi
vras colliguntur





BELLVM
GRAMMA-
TICALE.

AD LECTOREM.

*Si vis Grammaticæ cognoscere damna: libellus
Hunc lege, qui Bellum Grammaticale sonat.*

I. K.



VVITEBERGÆ

Recusum per Clementem Schleich
& Antonium Schön,

1577.

BELLVM



IN BELLVM GRAM-
MATICALE IOANNIS

Spangebergij ἑξάσιχον.

Ranarū et murum pugnam descripsit Homerus
Nasq; terrigenum cum Ioue bella uirum.
Multi Gallorum turmas cecidere cruentas
Spicula sanguinea fortiter acta manu.
Sunt quibus Hispaniæ libuit discrimina gentis
Et Vaticani promere bella patris.
Et sunt qui magni meditantur prælia Turcæ,
Cur ego non bellum Grammaticale canam?
Quo licet amborum sint magna pericula regum
Et uiridis multo sanguine inundet humus.
Cuncta tamen possunt amborum hæc prælia res
Non citra ludum deliciasq; legi. (gum,



VITTEBERGÆ

Recurram per Clementem Schleich
& Antonium Schön

1577

SAMVEL SEL
FISCHIVS IVNIOR,
PETRO SELFISCHIO,
IVNIORI.

S. D.

Non ignoras charissime fra-
ter, quanto suauissimi no-
bis parentes amore nos
amplectantur, quàm beni-
gnè ac promtè pro naturali sogyã in nos
beneficia conferant, vt & nullis in re
vlla parcant sumptibus, Idq; propterea
quò ad amorem studiorum alliciãt nos,
nosq; aliquando Ecclesie aut reipublice
utiliter seruietes atq; in honorib. con-
stitutos leti aspicere possint. Quod cum
Dei beneficium sit summum, & maxi-
mum, si Deus parentes, non Ethnicos,
sed Christianos et pios liberis largitur,
qui eos non solummodo rebus, qua ad
corpus spectant, procurant: verum ad
timorem quoq; Dei, & honestas disci-
plinas assuefacere & educare student,
cumq; hoc beneficio fruamur: gratis

A ij animis

animis ac perpetuis certè laudibus à no-
bis est celebrandam. Mecum igitur
pro hac bonitate patri aeterno gratias
omnibus temporibus ages, eumq; pre-
cibus coniunctis sollicitabis, ut nostros
parentes incolumes ac viuos diu con-
seruare velit.

Deniq; ut amantissimi nostri
parentes videant animum nostrorum
voluntatem, quòd nimirum arti-
um bonarum studia aequè nobis atq; pi-
etas sint cura: Patrem nostrum cha-
rissimum, ut libellum istum, cuius in-
scriptio est de Bello Grammaticali,
sumptibus proprijs excudi denuò cura-
ret, exoravi, quem tibi magnopere
commendo, ad cuius etiam lectionem
diligentem te fraternè cohortor, siqui-
dem olim in omnibus fermè scholis,
(uti audiui) admodum fuit familia-
ris. Ex hoc fraternum meum ani-
mum cognoscere poteris, quàm ex ani-
mo tuis fauceam commodis, Atq; cohor-
tationis loco distichon illud pium Re-
uerendi

uerendi ac pijs senis Domini Mathesij
pie & beate memoriae addam, quod
diligenter memoria retinebis:

Pastoris, patris, vox praeceptoris, amici,
Estq; pijs fratris vox benedicta DEI.

Omnia faciemus, ut voluntati, spei,
atq; expectationi parentum satisfaciamus,
mutuo nos amabimus, & in studijs
nostris strenui erimus. DEVS
nobis, & inceptis nostris suo sancto
Spiritu aderit, bene vale. Data
V. Iduum Iunij, Anno 1577.

Γραμματικῆς ὅς πῆμα θέλει, ὅπλα δ' αἱματόεντα
εἰδέμεθα, βιβλίον λέξει ἐκείνα τόδε.
ἠδὲ δ' ἰδέξει ὁμοῖοσασιν κακὸν αἰὶ προσάπτει
ἄνδράσι δυσμενῆ, ὅπῃ αὐτὸ φέλλει ἔριμ.

Z. Theobaldus.

A iij BEL

B E L L V M
G R A M M A
T I C A L E.



*G*RAMMATICAE
prouintia, licet unica sit & in-
diuidua, geminos tamen habet,
qui in ea imperent, potentissi-
mos Reges, Verbum scilicet &
Nomen. Et quidem prior Amo, Posterior Poëta
nuncupatur, Qui diutissimis temporibus tanta
simul regnauere concordia, ut in consficienda
oratione, nullum unquam disfidium, nullum de-
niq; litigium inter eos fuerit auditum.

In hac igitur Regum concordia, cum
Grammaticæ totius res optimè procederent,
foeliciq; prosperarentur successu, accidit, ut orta
inter eos ex parua causa dissensione, cuncta tu-
multibus & inexpectatis bellorum anfractibus
inuoluerentur. Quid enim non faciunt uinum
& immoderatus sumptæ epulæ? Tantam ani-
morum coniunctionem, unius conuiuij ebrietas,
in eas impulit utrumq; Regū inimicitias, ut im-
moderata dominandi libidine acti, tam nobile
Grammaticæ imperium penè euerterint.

Reseram

BELVUM GRAMMAT.

Referam autem quoniam pacto gesta sit *Propositio*,
res, ut sciant omnes, nullum esse tam arctum
amoris uinculum, quod regnandi libido non
soluat.

Coenantibus aliquando praedictis Regibus, *Topogra-*
in medio aestatis feruore, secus placidissimum *phia est.*
& perennem fontem, cuius ripas undiq; uiri-
des fagi & altissimae platani, opacitate eximia
adumbrabant. Posteaquam abunde uentri *Occasionem*
factum est satis, ut incaluisent omnes mero, *belli insinu-*
Orta est inter eos quaestio, cuius nam partes in *at.*
oratione conficienda potiores censerentur. Et
Verbo quidem digniorem locum sibi ascriben-
te acriter resistebat Nomen, asserens sine se, sta-
re orationem non posse, imò se antiquiorem &
digniorem esse. Quis inquit nesciat fuisse *Oratio Re-*
prius nomen quam uerbum? Deum certum est *gis nominū*
fecisse omnia, Quod si omnia, utiq; & Verbum. *Poëtae.*
Deus autem Nomen est non Verbum, Igitur à
nomine facta sunt omnia, etiam ipsa oratio. Le-
gisti ne aliquando, Inter natos mulierum non
surrexit maior Ioanne Baptista, Dei haec est
sententia, Huic refragari minimè tibi fas erit, si
Ioanne nullus est maior, Ioannes autem est no-
men eius. Et alibi, Cui nomen erat Ioannes,

BELVUM

Apparet certe nihil maius nomine posse reperiri.

Responso
regis verbo
rum Amo.
Plato lasci-
aos Poëtas
vrbe pellen-
dos dicebat.

Ioan. 1.

Mirabar, respondit Verbum, ô Poëta, quôd Plato ille diuinus, te sua eiccisset republica. Nûc animaduertens, quanta impudentia & temeritas te sacræ paginæ, diuinas authoritates tuis ineptijs inuoluas. Sed ne solus sapere uiderere manifestissimis scripturæ testimonijs meam authoritatem conseruabo. Proferam autem ipsum Noui testamenti caput ubi dicitur: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum. Arrige aures, cur faciem caperas? Deus, inquit, erat uerbum, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, Non igitur nomen fecit omnia, sed uerbum. Deus autem erat Verbum, non Nomen. Sed & uerbo Domini cœli firmati sunt & omnis uirtus eorum. Quid igitur dices? Non est quod te diuinis tueare testimonijs, quæ pro me stare, tibiq; aduersari intellexisti.

Que tua est insania? Vnde hos tibi tam repente sumpsisti Spiritus? ut audeas in oratione digniorem tibi locum usurpare, an te præterit omnem decorem, & suauitatem orationis ex me uno procedere, à Verboq; Nomen, non à Nominis Verbo

GRAMMATICALE.

ne Verbum regi consueuiffc? Verborum elegantia orationem exornat & illustrat, Et nisi te in oratione regam ac dirigam, tu mancus & debilis reperiare. Poteris ne tu constructionem unam connectere, in qua mihi non continuo principales partes tribuantur? Quid ergo blactis? Et quod ille ait tuus, Projcis ampullas & sesquipedalia uerba. Horatius.

Nominum inquires, Rex sum, Sed quod est tibi nomen? Poëta respondes. Quid aliud est Poëta, quam nugigerulus, nugiuendulus, fabularum inuentor, scelerum magister, loquax, nugax, mendax, ebrius & fatuus, qui uera inuertas, falsa ingeras, totumq; orbem garrulitate inficias & perturbes. Quid ex te habent, unde ad uirtutem incitentur adolescentes? nisi adulterum Iouem, Zelotipam Iunonem, meretricem Venerem, mœchum Martem, reliquaq; tuæ sapientie præclara commenta, quibus cœlum terræ, & terram cœlo, audcas permiscere. Exprobratio.

Ad hæc excandescens Rex Poëta. O improbum inquit caput, Talia de nobis temerario ore dicere præsumsisti, Simulq; arreptum poculum in illum furibundus immisisset, nisi ex circumstan-

A v

Responso
Poëta.

B E L L U M

cumstantibus quidam apprehensam eius dextrā ab ictu diuertisset. Non dubium quin irritatis utrinq; animis, à uerbis ad uerbera, uulneraq; deueniendum fuerit, nisi interuenientes seniores & saniores uiri, utrumq; regem furore ebrium, in suas ædes reduxissent.

Sequentis diei acta commemorat.

Postridie cum ambarum partium studiosi conuenissent, maxima apud omnes de pridiana contentione disputatio habebatur. Maior pars & iuniores præcipuè, mirum in modum fremere. Terentius qui tunc ibi aderat, cum suaderet nihil præcipitata sententia fieri debere, & omnia prius consilio quàm armis sapientem experiri oportere, Tantus nihilominus fuit omnium nominum cum suo Rege ad arma consensus, ut in eam itum sit sententiam, omnibus uerbis continuo bellum indici debere.

Verborum Regi bellum indicitur.

Missio igitur Tubicine ad Regem Amo, bellum manifestum confidentissimis animis denunciarunt, Nec saniora quidem apud uerborum Regem agitabantur consilia, ad quem conuenientes suæ partis ordines, omnes longa disceptatione agebatur, de retinenda in Grammaticæ regno Verborum dignitate, deq; nominum præsumptio

GRAMMATICALE.

sumptione deprimenda. Interim superueniens Poeta Regis nuntius, de bello quae sibi mandata fuerant, diligenter exposuit, Enimuero leto se animo accipere illis respondentibus, ad belli cogitationes uersi sunt omnium animi.

Misit itaq; uerborum Rex tibicines & Legatio Re-
nuncios suos ad omnes nationes & gentes, quae gis uerboru.
suo parebant imperio, iussitq; ut cuncti, armis
idonei, ad constitutum diem adessent.

Omniū autem primus adfuit Aduerbio: Aduerbia lo-
rum dux Quando, cum centurionibus sex, uide: calia, interro-
licet Quo, Vbi, Qua & Vnde, Quorsum & gatiua enu-
Quousq;. Quos sequebantur manipulares merat cū suis
sui, Sub primo quidem hi erant, Huc illuc, Quō.
istuc, intrò, foràs, aliò, nequò, aliquò, siquò, Vbi.
illò & cò. Sub secundo, Hic, illic, istic, intus, Vbi.
foris, ibi, ibidem, sicubi, necubi, alicubi, aliàs, Qua.
alibi, usquam & nusquam. Sub tertio, Hac, Vnde.
illac, istac, nequa, siqua. Sub quarto, Hinc, Vnde.
illinc, istinc, inde, alicunde, celitus, funditus.
Sub quinto, Horsum, illorsum, introrsum, ex: Quorsum.
trorsum, dextrorsum, sinistrorsum, aliorsum, Quorsum.
retrorsum, sursum & deorsum. Sub sexto, Quousq;.
Haftenus, hucusq;, eousq;, usq; modo, usq; nunc.
Sextus

B E L L V M

Sextus centurio signum ferebat manu propria, ibatq; medius omnium, ita ut duo præcederent ordines, ipse sequeretur, tres clauderent agmen. Multa alia aduerbia antecurrebant. Quædam procedentium acierum tegebant latera, illa uicina explorabant. Hæc curabant ne ordines interrupterentur, quorum nomina hæc sunt, Per egrè, ponè, super, supra, intra, extra, citra, ultra, cum alijs pluribus.

Aliarum significationum aduerbia recenset.

Ridiculū interferit de aduerbio Nequaquam.

Accidentia Aduerbiorū explicat.

Enumeratis aduerbijs, nunc auxilia rem turbam verborum explicat.

Venire post hæc alia Aduerbia, qualitatis, quantitatis & numeri, cum quibus erant aduerbia iurandi, Edepol, Ecastor, mehercle, & profecto, Item uocandi, ut heus & ô. Respondendi ut hem, Ridendi ut ha ha, Negandi ut minimè, nequaquam, qui nequaquam licet strenuus in bello esset, & diu exercitatus, nihilominus omnium mendacissimus habebatur. * Omnia hæc aduerbia triplici muniebantur armatura, ferebantq; pro scuto, speciem, pro lorica, significationem, pro ense, figuram.

* Multæ aliæ nationes Verborum uenire in auxilium regis sui, uidelicet, natio inchoatiua, Frequentatiua, Meditatiua, Desideratiua, Imitatiua & Diminutiua, cum copijs non spernendis.

* Ad

GRAMMATICALE.

* Adfuere etiam fortissimi satrapæ *

Anomali, qui larè dominabantur in confinibus Grammaticæ, bellicosissimi quidem, sed qui nullo possent contineri ordine, scilicet Sum, uolo, fero, & edo, quibus concessum fuit à rege, ut in quocumq; uellent castrorum loco, sua figerent tabernacula, modò inter milites nullum concirent tumultum.

Ingeniose
Anomala
verba des
scribit.

Post hos aduenit natio uerborum Defectiua, pulcherrimè per turmas ordinata, scilicet Memini, noui, cœpi & odi. Item Vale, Aue, Salue, Aio, inquam, faxo, cedo, omnes armati & ad pugnam præsentissimis animis præparati, Quos sequebantur omnia uerba actiua, uestita in o, & passiua in or, Neutra quoq; cum Deponentibus & Communibus & Impersonalibus, Erantq; armata generibus, temporibus, modis, speciebus, figuris, personis & numeris.

Defectiua
verba enu
merat.

Quintuplicia
verborum ge
nera affert.

Accidentia
verborum
enumerat.

Congregato huiusmodi exercitu, rex Amos omnes copias deduxit in latissimos campos coniunctionum, in loco quodam, qui dicitur Copula, ibiq; castra metatus est, iuxta flumen disiectuarum, nomine Siue, Diuisitq; omnia sua uerba in quatuor coniugationes, unicuiq; tribuens in castris proprium locum, exceptis quibusdam famis

Topogra
phia est cas
trorum Res
gis Amos.

Coniugatio
nes verbo
rum enume
rat.

B E L L V M

Verba exem-
ptæ actio-
nis recenset.

familiaribus uerbis, quibus iniunctum fuit, ut sarcinas ferrent Infinitiuorum, ut sunt, incipit, desinit, debet, uult, potest, iubet, audet, nititur, tentat & dignatur. Vltimò omnium uenere in castra quædam uerba magnæ authoritatis, ut pluit, ningit, fulgurat, tonat, fulminat, coruscat, diescit, noctescit, lucefcit, aduesperascit, trahentia post se cohortes fortissimorum militum succurrunt, sed & Gerundia cum Supinis, relictis nominibus, transfugere ad Verba.

Enumeratis
copiis verbo-
rum, auxilia-
rem nominum
turbam com-
memorat.

Eleganter nu-
merum pro-
nominum
insinuat.

Audiens uerò nominum Rex Poëta, quanta contra se preparassent aduersarij sui, ueritus ne subita ui aliqua ingruente, opprimeretur, si imparatus tantarum uirium impetum expectaret, omnibus imperio suo subditis indixit, ut quamprimum fieri posset, armati & instructi pro uiribus adessent, In cuius auxilium, utpote propinquiores, primi adsuere Pronominum duces. Ego, Tu, Sui. Consanguinei ipsius regis, & ex eodem sanguine procreati. Meus, tuus, suus, noster, uester, nostras & uestras. Item, ille, ipse, iste, hic, quis, qui. Omnia autem Pronomina diuisa erant in cuneos, alia erant Primitiua, alia Deriuatiua, alia Relatiua, quædam Possessiua, quædam gentilia.

Venere

GRAMMATICALE.

Venere insuper tres articuli pugnacissimi, & longo belli usu exercitati, Hic, Hæc & Hoc. Articulos enumerat.

Omnia hæc Pronomina, speciebus, generibus, numeris, figuris, personis & casibus armabantur, & diuisa erant in quatuor declinationes. Accidentia pronominum explicat.

Duces Relatiuorum, Quis, Qui, Quæ, Quæ, Quod, Quid, Referendarij erant generales regis nominum in suo regno, cum quibus fuere omnia Relatiua substantiæ, distincta in duas turmas, identitatis & diuersitatis. In prima numerabantur, Tuus, suus, ipse, sui, ille & idem. In secunda Cæter, alius, reliquus, alter. Princeps Relatiuorum accidentium erat Qualis, cum quo militabant, quantus, quot, quotuplex, cuius &c. Variâ Relatiua adducit.

Venit etiam Præpositionum Regina Ad, Mira ingentis industria præpositiones enumerat, diuidens eas in tres turmas.

cum qua erant ab & in, coniunctæ nominum casibus, Ducebantq; secum tres phalanges strenuorum militum. In prima erant Apud, Ante, Aduersus, Cis, Citra, Circiter, Circum, Circa, Contra, Erga, Extra, Inter, Intra, Infra, Iuxta, Ob, Pone, penes, per, prope, propter, post, præter, supra, Secundum, secus, trans, ultra, usq; Versus. Præpositiones accusatiui casus.

Omnes seruietes accusatiuo casui. In secunda fuere A, Abs, Cum, Coram, Clam, De, Ablatiui.

E, Ex, Pro, Præ, Palam, Sine, Absq; Tenus, Omnes

BELLVM

Vtriusq̄. Omnes seruietes ablatiuo casui. In Tertia
Inseparabiles erant, In, Sub, super, subter, quæ seruiebant utri-
 que casui, Militabant & hîc Præpositiones, Di,
 Dis, Re, Se, An, Con, Eratq̄; eorum proprium
 officium, compositionem facere in usum militi-
 tum. Nam tunc dies quadragesimæ erant.

**Varia nomi-
na enumerat.** Atqui omnia nomina in suas acies distri-
 buta, pulcherrimo ordine procedebant, scilicet
 Propria, Appellatiua, Substantiua, Adiectiua.
 Post quæ Comparatiua & Superlatiua, Hetero-
 clita, Patronymica, Possessiua, Denominatiua,
 & Numeralia, distinguebanturq̄; in quinq; De-
**Accidentia
nominum re-
censet.** clinationes, scilicet, Primam, Secundam, Terti-
 am, Quartam, & Quintam, quorum arma
 erant, species, genera, numeri, figura & cas-
 sus.

**Descriptio.
castrorum re-
gis Poëtae.** His igitur omnibus in unum coactis, Rex
 nominum Poëta copias, & ipse suas deduxit in
 eandem planitiem Coniunctionum, Posuitq̄; cas-
 tra ab altera parte prædicti fluminis Siue, Ita,
 ut tantus exercitus unicus diuideret alucus flu-
 minis, Vnde & factum est, ut inter aquantes,
 non leuia interdum prælia mirentur. Nunquam
 tamen totis copijs in aciem descensum est, pro-
 hibentibus id utriusq̄; partis regibus, quoniam
 nec

GRAMMATICALE.

nec dum ad pugnam necessaria omnia parata intelligebant.

Satagebat uterq; regum Participium in suas partes trahere. Erat uero Participium in tota Grammaticæ prouincia maximæ authoritatis, et post reges, dignitate & potentia primus, Qui in quamcunq; partem cum suis uiribus inclinasset, haud dubiè uictoriam secum trahere possidebatur. Quapropter non tam Verbum quam Nomen, ut hunc sibi adiungeret, nihil intentatum prætermittebat.

Vterq; Regū Participium in suas partes trahere nitentur.

Præoccupans autem Nominum rex Poëta, huiusmodi ad illum literas dedit. Non arbitror te præterire, frater mi, quanta insolentia, quo animi tumore contra me nominūq; dignitatem insurrexerit Verborum rex Amo, quæue temeritate conficiendæ orationis primas partes sibi usurpare præsumat. Propter quod, licet, inuiti, arma sumere, & copias cogere coacti sumus, ut illius contusa superbia, auctoritatem nostram illibatam conseruare ualeamus. Enim uero, cum optimè scias quantum nominum gentibus debeas, quæue ab illis beneficia acceperis, feceris pietate & fide tua dignum opus, si com-

Epistola regis Nominū ad Participium.

B muenem

B E L L V M

munem rem, communes spes, nobiscum prote-
cturus, cum tuis te legionibus nobis adiunxeris.
Nam euerso nominum imperio, nihil est quod
in Grammaticæ solo tutum tibi possis arbitrari.
Vale & quantum potes tuum festina aduen-
tum.

Epistola res
gis Verborū
ad Participi-
um.

Scripsit uerò & Rex Amo ad Participium
in hæc uerba. Non me latet Charissime amice,
solicitari te maxima instantia ab aduersarijs no-
stris, ut contra nos bellum gesturus secum in
campum descendas, Et licet pro tua prudentia
nihil temerè te gesturum confidamus, necessari-
um tamen duximus admonere & hortari te, ut
mente reputes, quæ à nobis habeas commoda,
Quanta ex uerbis dignitati tuæ fiat adiectio.
Et licet minutula quædam à nominibus accepisse
uidearis, ampliora tamen sunt, quæ tibi à nobis
tribuuntur. Iustius itaq; feceris, si ad felicia
hæc nostra perueneris castra. Nam nec uerissi-
mile est, si succubuerimus, ipsos hostes à rebus
tuis temperaturos, quin uictricia (quod Deus
auertat) in te conuertant arma, quò soli tandem
in omni Grammaticæ solo pro effrenata animi
libidine grassari queant, Vale.

Participium
licet neutri

Ambarum igitur partium lectis literis, co-
gitabat participium neutri se parti adherere
posse,

GRAMMATICALE.

posse, sine grandi rerum suarum pernicie, Contra, si se mediū gerat, uel amborum seruare gratiam, uel quod magis destinabat animo, utriusq; res bellorum cladibus ita affligi posse pensabat, ut illis depressis, regno Grammaticæ sine controuersia potiretur. Verum dissimulandas huiusmodi cogitationes censebat, ducendosq; utrosq; uerbis, quò ad certaminum euentum posset inspicere.

adhærere uos
luerit, insidi-
as tamen pa-
rabat, ut op-
pressis regi-
bus ipse reg-
no potiretur.

Rescripsit itaq; utrisq; in hæc uerba. Accepi literas uestras, illustrissimi reges, easq; non sine ingenti animi dolore perlegi, audiens inter adeò coniunctos principes, tanta exorta dissidia, ut contineri minimè possitis, quin Grammaticæ tam celebre imperium, & propria regna cruentissimo bello sitis euersuri. Quæ uos occupant intemperie? Vnde ea mentium alienatio? Per immortalem deum, quò progrediamini? Paululum cogitate, quantum letabuntur aduersarij uestri ignorantie & barbarismorum incompositi populi, intuentes hostium suorum uires, mutuis dissidijs lacerari. Adiuro uos per deos omnes, superos, medios & infimos, regredimini, abstinete funestis armis, ne damnabili dominationi libidine pulcherrimam totius orbis prouinciam tumultibus & cladibus inuoluatis,

Epistola Participii ad u-
trumq; regē,
Quos acriter
castigat, aliud
tamen animo
præ se fert.

B E L L V M

Atqui, si ita in fatis fuerit, si omnino decretum est uobis bello decernere, Meum erit nulli uestrum adherere. Partem quippe iurisdictionis mee capio à uerbo, partem à nomine, Et cum utriq; multum debeam, utrumq; commeatu, aliisq; ad uictum necessarijs rebus, quantum poterò, adiuuabo. Abstinebo autem armis, tantumq; ad id meas cogam copias, ne in hac bellorum licentia fines imperij mei aliquatenus possint deuastari. Dent uobis dij ut saniora cogiteis, Valete.

Verfutiam
Participij de
scribit.

Licet uerò Participium hæc rescripserit, aiebat nihilominus uersipellis & uascer, quibus poterat modis, regum discordias, concitabatq; occultis literis utriusq; gentis animos ad pugnam, sperans ex eorum internecione, facile sibi aditum ad totius Grammaticæ imperium posse parari.

Terminatio-
nes Partici-
piorum enu-
merat.
Nomina uer-
balia adfert.

Dieq; quo milites sui ad se conuenirent, indicto, non contemnendas & ipse copias aggregauit. Adsuere in primis desinentia in Ans, Ens, tus, sus, xus, rus & dus, cum nominibus uerbalibus in Tor, Trix, & similia, Quæ incolebant loca uicina Verbo & Nomini, Participio se adiunxere, Sed & Gerundia & Supina, ut ciuilia bella declinantia, ad Participium transfugere.

Rebus

GRAMMATICALE.

Rebus hoc pacto dispositis, quò se utrisq; gratum exhiberet, destinavit utriq; munera pretij non exigui, Et uerbo quidem primū misit illa Neutropassiuā, Gaudeo, Soleo, Audco, Fio, Prandeo, Cœno, Iuro, Titubo, Placeo, Nubo, Careo, Mœreo, Taceo, & Quiesco. Nominum autem Regi dedit, desinentia in Tor, & Trix, misit etiam pro pedamento exercitus uerbo, plaustra centum præteritorum, presentium & futurorum, Camelos mille figurarum simplicium & compositarum. Nomini uero per flumen Siue, transmisit decem onerarias naues casuum nominatiuorum & genitiuorum, Et totidem numerorum singularium et pluralium, Multaq; alia genera, Masculina, Fœminina, Neutra, Communia, & Omnis, Quibus peractis, continebat se cum legionibus suis intra proprios confines, expectans, quoniam inclinaret fortuna. At bellicosi reges, cum omnia abundè præparassent, nihil cogitabant aliud, quàm ut ex præclara aliqua re belli initia ordirentur.

Quid suffragii Participium utriq; regi fecerit, recenset.

Accidentia Participiorum ingeniosè se enumerat.

Accidit autem, ut ex nobilioribus ciuitatibus totius Grammaticæ, duæ furto interciperentur, à Verborum rege, uidelicet A & V, Quod audiens rex Poëta, eisdem artibus, tres alias occupauit

Belle Vocales quinque enumerat, quarum duæ uerbis, tres nominibus

B E L L V M

accommodā-
tur, præfer-
tim incre-
mento.

Diphthon-
gos enume-
rat, quarum
duæ scri-
buntur &
proferuntur,
duæ scribun-
tur & non
proferuntur.

Interiectio-
nes diuerfa-
rum signifi-
cationum ad-
ducit.

cupavit E, I & O. Reliquæ ciuitates cautius
uigilantes, sua seruata libertate, utrisq; se com-
munes exhibuere, Quorum nomina sunt b. c.
d. f. g. l. m. n. p. q. r. s. t. x. & z. quibus
omnes Grammaticæ nervos constare certissi-
mum erat. De Diphthongis binæ cuilibet re-
gum datæ sunt, ut tubicinum officium exerce-
rent. Sequebantur insuper utraq; castra, mulis
erculæ quædam mimæ, uarijs affectibus militum
mentes afficientes, Earum quædam flebant &
lamentabantur Grammaticæ communem stra-
gem, quam imminere prospiciebant, ut Oh, Ah,
Heu & Hei. Aliæ indignabantur & carpebant
regum discordias, ut uah, prob, uæ, atat. Pleræq;
admirabantur inter tam coniunctas personas, ea
orta esse dissidia, ut Papæ, Sed & quædam ob
mentis leuitatem gaudebant, hortabanturq; mi-
lites in prælium, ut Eia, Euax.

Deductis in
campū acie-
bus, verbo-
rum Rex ad
nominum re-
gem Episto-
lam mittit, in
qua diem cer-
taminis pan-
dit.

Cæterum omnibus ad pugnam instructis,
uisum est uerborum regi, quò ciuiles clades
quantum in se esset, declinaret, honestaretq; ali-
quabiter factum suum, Nominum regi huiusmo-
di Epistolam scribere. Intelligere potuisti O
Poëta, quàm paratus, quàm robustus tecum cer-
taturus in campum descenderim, nec ignarus es,

cas

GRAMMATICALE.

eas tibi miminè adesse vires, ut legionum mearum impetum possis expectare, Tuis prudenter consules rebus, si mihi cedens, tuis te continueris, Quòd si insanire pergas, statimque sententia ferro decernendi, die tertia, omnibus copijs tecum congressurus in campum descendam.

Has literas, cum Nominum regi dedissent tubicines Au & Eu, Ex consiliariorum suorum sententia, Ita & ipse respondit. Semper tibi uerborum est plusquam satis O Amo, nec nouum est, quòd uerbositate tua audientium aures obtundas, Iactas tu pugnaces exercitus & tuos terribiles apparatus, quasi nos pumiliones locustasue nobiscum habeamus, Possessio tibi parua fuit semper in oratione, Et nunc eò te impulit tua insania, ut effugere nequeas, Quin male parata, peius gesta, pessimè retenta, hac tua regni portione iustis armis eijciare. Et ut scias quantitas inimicitias faciamus, tubicines nostri Ac & Oe nomine nostro nudatos tibi lumbos porrigent, Si ut uelim ualeas, extremum ualeas.

Huiusmodi literis irritatis utrinque animis, futuri praelij diem ardentissimè cuncti expectabant. Creuerat interea ex temporum occasione

*Regis nomi-
num respon-
sio, acerba
castigatione
uerborum
regis conti-
nens.
Epistola*

B E L L U M

Latrocinia
quæ in bello
fieri solent,
describit.

Bellorum in-
cōmoda re-
censet, quæ
sunt Anno-
næ inopia,
rei domesti-
cæ negligē-
tia, bellanti-
um inter se,
iugis conten-
tio & interi-
tus.

Somniahun-
dum Catho-
licō intelligit,
qui latina
græcis et græ-
ca latinis im-
miscuit, om-
nemq; bar-
bariem indu-
xit.

(ut fit) facinorosorum licentia, exieratq; las-
trunculorum non spernenda manus, quæ omnem
Grammaticæ prouinciam prædabantur, obsiden-
tes itinerantes, aut alios in utraq; castra comme-
atum ferentes. Quapropter crescente indies
apud utrumq; exercitum annonæ inopia, intelle-
cta eius rei causa, de utriusq; regis consensu,
Missi sunt duces quidam peritissimi, cum milia-
tū oportuna manu, ut uel captos latrones inter-
ficrent, Vel fugatos omni Grammatica procul
expellerent, Qui ad ea peruenientes loca, cir-
cumdato à militibus quodam saltu, In quo pler-
osq; ex illis latere compererant, Omnes ad-
unum intercepte, inter quos fuit quidam nomi-
ne Catholicon, qui grandem asinum uocabulis
græcis latinisq; confuse permixtis onustum in
Italiam agebat. Et cæteros quidem cum laqueo
necassent, hunc solum uiuum cum suo asino in
castra duxere, qui tormentis coactus, confessus
est se omnia uocabula in Grammaticæ terris
furto surripuisse. Cum uerò eum quis Græcè
interrogasset, ingenuèq; respondisset se Græcè
nihil scire, latinè parum. Quid ergo (inquiunt
iudices) Græca tecum defers uocabula, quæ non
intelligis? ad quæ ille. Tanta apud nostros est
imperitia, ut etiam si barbarè loquar facile illis
persua-

GRAMMATICALE.

persuadeam me Atticæ eloquētiæ angulos omnes penetrasse. Risere uehementer astantes cuncti, hoc audito, Et me hercle, inquit, quando tam faciles auditores habes, quæ tua sunt, aut aliâs eorum domini non comparebunt, tecum ad illos ferens ibis incolumis, Quæ uerò certum dominum habere dimoscuntur, ea ut restituas, dignum iudicamus.

Facta igitur diligenti inquisitione, omnia fermè Græca, Isidoro, cuius fuerant, restituere, cætera latinis ut asportaret permittentes, illum dimisere cum suo asino, iam leuius incedente, iubentes nihilominus, ne unquam, nisi inter imperitos & indoctos auditores suos, Grammaticum se profiteri auderet.

Priscianus, uir præstantissimus, & in omni Grammatica apprimè honoratus, cum agrè ferens ciuilibus bellis Grammaticam deuastari, seditiones sedaturus, in castra festinans pergeret, à latronibus, Catholicon & socijs captus, spoliatus ac fustibus pulsatus, tale uulnus in caput accepit, ut nullo unquam medicorum studio curari potuerit. Ex his, non multò post captus fuit quidam, qui se falso Historiographum publice profitebatur, congesseratq; innumeras in

Priscianus omnium fere Grammaticorum primus à barbaris immunis non erat.

Taxat Authorem illum qui supplementum Chronicarum scri-

B E L L V M

plur. Et mul-
tas ineptias
congeffit.

uolumen quoddam ineptias, Atq; cum librum
supplementum Chronicarum appellauerat, quem
questionibus omnia furta fateri coactum, in
ignorantiae terras perpetuo relegarunt.

Pugnam A-
nomalorum
& Nominū
describit.

Dum haec agerentur, egressi ex uerborum
castris quidam ex genere Anomalorum, uideli-
cet Sum, Volo, & Fero, cum cohortibus tribus,
intercepere unum ex centurionibus nominum,

Cæter.

dictum Cæter, qui erat de genere relatiuorum,
Latebatq; cum manipularibus suis in quadam
spelunca, posita in biuio coniunctionum, quod
& cum. Ipsumq; cum omnibus suis singularis
bus trucidauerunt. Plurales uero in tali discrimi-

Pasquillus
imago est Ro-
mæ in pario-
ne sub ædib.
Cardinalis
Neapolitani.

mine constituta cum se Pasquillo Romano, gran-
dem cereum oblaturos uoto obligassent, eius
sancti meritis præter omnem opinionem incolu-
mes euasere.

Iacturam mi-
litis Cæter,
hodie in bel-
li tumultibus
omnes fere
deplorant.

Quod cum Poëta Regi nunciatum fuisset,
iratus est uehementer, tulitq; ægerrime, quod ta-
lem Centurionem amisisset. Erat quippe is Cæ-
ter fortitudine insignis, audacia celebris, & mi-
litaris rei peritia nulli secundus. Obseruabat
igitur omni studio, si quo pacto acceptum da-
mnum bene cumulatū, hostibus posset retribuere.
Verum fortuna, quæ cum in omnibus rebus
pluria

GRAMMATICALE.

plurimum potest, tum in bello planè dominatur, optimam præbuit occasionem, Nam iisdem diebus, ab leuis armaturæ militibus nominum, captiui in castra adducti sunt complures, ex uerborum legionarijs, inter quos erant ex imperatiuorum genere, Dicc, duce, face & fere, quibus ignominie causa, posteriores uestium partes præcidi iussit rex Poëta, ita ut nudas nates conspicuas gererent. Et dimissi, uocati sunt in posterum, Dic, duc, fac & fer, Fuo & Specio similiter captos necari iussit, quorum bona à uerborum rege accepere eorum per rectam lineam legitimi descendentes, Inter quos futurus, & fui cum alijs à suo oriundis, Et à Specio Conspicio & despicio, cæterisq; à Specio descendentibus.

Quo pacto syncopata sint hæc uerba, duco, dico, explicat.

Adducit quædam uerba simplicia in uilitata, quorum tempora tamen recipiunt eorum composita.

Detecta est interim in castris uerborum grandis proditio, Coniurauerant enim quidam monstrosi milites, de genere præteritorum perfectorum, quibus bina erant capita, moliebanturq; insidias uerborum regi, qui capti, conuictiq; damnati sunt perduellionis, siue crimine læsæ maiestatis. Nomina eorum fuere, Momordi, Cecidi, Cucurri, Pepedi, Cecimi, Peperi, Spossondi, Tutudi, Pepuli & Fefeili, quibus

Commune mal. belli est, Coniuratio, Conspiratio, & Proditio.

Enumerat uerba habentia geminata præterita.

B E L L V M

quibus iussu regis in presenti tempore unum caput abscisum fuit, Et ubi prius dicebantur Momordeo, Cucurro &c. Postmodum uocabantur Mordeo, Curro &c.

In Futurum pugnae inditium vexillum est summo castrorum loco exhiberi solet, quo milites ad arma prouocentur.

Bellum Grammaticale describit.

Duellum uerborum defectiuorum &

Adueniente demum pugnae die, uterq; rex in eminentiore castrorum loco pallium rubrum poni iussit, quo milites admoniti futuri praelii, curarent corpora, prepararentq; arma ac reliqua in hoc opus necessaria. Postridie, summo mane, pransis militibus, ex omni parte, Copiae summo silentio in campum deductae sunt, Explicatisq; ordinibus, suos quisq; ut uiriliter agerent efficaci oratione excitabat, quamuis minime opus erat, per se satis accensos uerbis accendere, quin ipsi ultrò crispantes tela furibundi inuendi praelii signum expetebant. Postquam id actum est, Tubae utrinq; canunt, Contra consonat terra, Clanorem utrinq; offerunt, Imperator utrinq; hinc & illinc Ioui uota suscipere, hortari exercitum pro se quisq;, Id quod quisq; potest & ualet edit, ferro ferit, tela frangunt, boeat Coelum fremitu uirum, cadunt uulnerum uiui utrinq; multi.

Videre erat inter ceteros Defectiua uerba pugnancia cum nominibus Heteroclitis, Et
hac

GRAMMATICALE.

hæc quidem suis casibus & generibus numerisq; pluralibus acriter feriebant aduersarios. Illi uero audacter resistebant, reperiiebantq; nomina Heteroclita modis & temporibus, confringebantq; eorum Numeros & Genera suis coniugationibus, Ex quibus Aio singulari utens audacia, duorum nominum Heteroclitorum impetum diu sustinuit, Verum cum resistere non potuisset, spoliatum fuit multis personis, modis, temporibus & numeris. Remanseruntq; illi ex omnibus suis hi tantum, Aio ais ait, aiunt, aiebam aiebas aiebat aiebant, cætera hostium gladijs cecidère.

nominum
Heteroclitorum commemorat.

Aio.

Pugnantibus hoc pacto utriusq; legionibus, atq; adco simul permixtis, ut uix hostes à socijs possent discernere, Tantus fuit omnium in prælio ardor, Tanta animorum intentio, ut cum eadem hora terræmotus terribilis fuerit, Et in ea prouincia uicinas urbes prostrauerit, Nullus tamen eorum id senserit. † Obscurabatur sol multitudinis sagittarum, numerorum Singularium & Pluralium, obtundebantur aures omnium clamoribus figurarum compositarum & decompositarum, uulnerabantur innumeri iaculis specierum primitiuae & deriuatiuae, Sed & tubicines

Bellum tam horrendum fuisse prædicat, ut præ clamoribus terræmotum eo tempore factum non senserint.

†

Ingeniose accidit par-tium enumerat.

BELLVM

Interiectiones recenset. *bicines utriusq; partis terribili taratantara concinentes, militum animos in pugnam, mirum in modum incēdebant, mulierculæ quoq; mimæ interiectiones scilicet, pugnantium ordines circumcuntes, cuncta suis affectibus perturbabant.*

Miro ingenio bellum diremtum fuisse scribit pluuiis & tempestatibus exortis. *Ex quibus frequentius audiebantur gementes illæ, Heu & hei, Oh oh, ah, uæ. Atrox prælium fuit, & nisi coorta subito tempestate, ingens superueniens aquarum uis, pugnam diremisset, actum sanè fuisset, de uniuersis Grammaticæ uiribus. Tanta namq; erat omnium in mutuam perniciem rabies, ut ingructe imbre ac signo receptui dato, uix tamen atq; agrè in castra reduci potuerint. Ambiguitas fuit maxima, penes quos cuius pugne uictoria staret, Ingens utrinq; clades, Ingens cedes, ingens apud utrosq; iactura, nec facile fuerit amborum detrimenta sermone complecti.*

Iacturam belli exprimit, indicās quid cuiq; regi sit ablatum. *In primis, ex parte uerborum, Verbum Defectiuum Infit, amisit omnes ab eo descendentes, Omnia genera, tempora, modos, personas, & numeros, Ipseq; singulari Dei munere (quoniam in periculo positus, uouerat se nunquam religionem aliquam ingressurum) saluus euasit, Sed tanto ex eo casu terrore percussus fuit, ut postmodum*

GRAMMATICALE.

modum in Grammaticæ regno prodire in publico raro sit uisus.

Forem, spoliatus fuit omnibus suis rebus, Forem, præter forem, foret, & fore.

Aue, Salue, Vale, de genere Imperatiuorum Aue. Salue. Vale.
grandem commilitonum suorum stragem accipere, paucis conseruatis, qui & nunc comparant, alios amisere.

Faxo, ex eadem gente actiuorum, cum omnibus suis manipularibus, circa se trucidatis, cum tribus tantum, uidelicet, faxis, faxit & faxint, fuga euasit.

Inquo de genere neutrorum conseruauit, Inquies, Inquies, inquit, inquit, inquam, inquies, inquiet, inquiet, Reliquos bellum absumpsit. Inquiens cum in castris participiorum esset, periculo non interfuit.

Apage & Apagate, cunctis commilitonibus amissis, soli euasere.

Diet uniuersos socios amisit, præter diescit. Diet.

Facio, orbatus fuit filio suo facior, qui tamen priusquam expiraret, militari testamento heredem instituit, fio, Facio.

Posco, Disco, Metuo, Timeo, Renuo, Respuo, Posco, Disco, Metuo, Timeo.
Compesco, Urgeo, omnes de genere actiuorum, meo.
perdidere sua supina. Occasum beneficio noctis, saluus euasit.

BEL LV M

Nonnulla uerba quæ amiserant Præterita sua Tertiæ coniugationis, in supplementum accepere, postmodum Præterita Quartæ coniugationis. In quorum numero fuere, Cupio, Peto, Quæro, Arcesso & Laccio. Quædam amissis futuris in am, ne futurorum omnino abijcerent spem, Emerunt in nundinis Recatanensibus, alia futura in bo, ut. Eo, queo & Veneo.

Cupio, Peto,
Quæro, Ar-
cesso.

Recanetum
vrbs Italiæ
ad mare A-
driaticum sita.

Fulgeo, Splē-
deo.
Fulcio.

Omnia uerba splendoris, spoliata sunt supinis, Inter quæ Luceo, Fulgeo, Splendeo & similia. Fulcio singulari usus audacia excussit periculum & retinuit suum fultam.

Postquam re-
censuit ver-
ba quib. ali-
quid ablatum
est. Nunc ea
enumerat,
quibus ali-
quid accre-
uit.

Posteaquam ea enumerauimus, quibus aduersi aliquid euenit, minimè æquum fuerit carere laudibus. illa uerba quæ, re strenuè acta, uel ex hostium spolijs, uel sui regis munere, ad priorem statum aliquid addidere. Inter cætera eminent, coenatus, iuratus, mæstus, nuptus & pransus, quibus ultra propria præterita uocis actiue, accessere etiam præterita uocis passiuæ.

Redimo.

Redimo duobus auctus est sensibus. Possidet enim ea hora tria significata, uidelicet Emerre, Liberare, & emendare.

Explico.

Explicat, ultra proprium sensum, qui est, extendere siue emittere, obtinuit, ut explanaret, ostendens

GRAMMATICALE.

ostenderet, extraheret & exhiberet.

Præsto multos accepit sensus, scilicet con- Præsto:
cedere, tribuere, beneficium dare, persolvere,
excellere & superare.

Haurio maiore ditatus est præda. Significat Haurio:
enim accipere, audire, extrahere, aspiciere, auidè
sumere, vulnere, tenere, defatigare, uacuare,
luere & consummare.

Pasco geminos accepit intellectus, comme- Pasco:
dere & alios alere.

Vaco, licet minimè se prælio immiscuerit. Vaco.
Nam (ut apud Plautum ait Sofia) cum pugna-
bant maximè, fugiebat maximè, Fortuna tamen
quæ & desides plerumq; coronat, illius ignavi-
am pinguioribus exuuijs uoluit decorare, Fugi-
entes enim ex pugna hostium, quosdam conspi-
catus, tabernaculo exiliens interceptit, quibus
postea grandi pecunia se redimentibus, sex sibi
ultra priorem sensus acquisiuit, scilicet operam
dare siue intendere, Cessare siue in otio esse, in-
seruire, ociosum esse, carere & uacuum esse.

Studeo, tria lucratus est significata, fauere, Studeo:
operam dare & conari.

Pango, tres sensus accepit, scilicet Canere, Pango:
& tunc Præteritum habet Panxi, Pacisci, tunc
habet Pepigi, Coniungere, tunc habet Pegi.

C

Sapio,

B E L L U M

- Sapio.** Sapio, ex ea die, binos tenet sensus, scire & saporem reddere.
- Fero.** Fero, ex Anomalis, multis auctus est sensibus. Significat enim portare, pati siue sustinere, ducere, dirigere, dicere, nominare, dare, exhibere, concupiscere, extollere, gignere, afferre, auferre, recipere, assequi.
- Confiteor.** Confiteor triplicem accepit intellectum, scilicet laudare, purgare, & manifestare, siue affirmare.
- Supero.** Supero, ob illius eximiam inter omnia uerba potentiam, dati sunt sex sensus, scilicet, supergredi, uincere, superabundare, superucnire siue superstitem esse, restare & occidere.
- Verba Neutropassiva enumerat, quæ sub voce actiua præterita habet passiuorum.** Fuere quoque uerba quædam, quæ amissis proprijs præteritis, acceperunt postea à rege suo præterita quorundam passiuorum, quæ in bello ceciderant, scilicet, Audeo, Soleo, Gaudeo, Fio & Fido.

Enumerat uerba, quæ sub voce Actiua significationem habent passiuam. Verba illa pestifera & perniciosæ, aliud semper in lingua, aliud in corde clausum habentia, licet nullum lucrum eo fecerint bello, tamen prætercunda non sunt. Nec eorum reticenda arbitror nomina, ut ab illis caueant cuncti. Quoniam passionem continuo afferunt sub specie actionis,

GRAMMATICALE.

actionis, quorum hæc nomina, Exulo, Nubo, Ven-
neo, Vapulo. Ultimi huius insidias, adolescens
quisq; quò fuerit cautior, eò enixus declinabit,
si suis rectè consultum uolet natibus.

Cognitum est inter nomina quoq; non mi-
nus, quàm inter uerba uariasse fortunam, & ut à
positiuus incipiamus.

Fuère ex illis nonnulla, quæ in comparati-
uis suis sauciata, medicorum diligentia aliqua
fomentum accepere, uidelicet, Melior, maior,
minor, dexterior, sinisterior, Plus, munificen-
tior & magnificentior. Omnia irregularia &
à secunda declinatione descendunt, † Sed &
Pius, arduus, egregius, tenuis, & similia, pro-
pria perdidere comparatiua.

Nomina desinentia in r, in superlatiuo ami-
serunt imus, & pro eo postea acceperunt ri-
mus, ut Tener & saluber. Quibusdam pro si-
mus, quo spoliati fuerant, concessum est limus,
ut humilis, facilis, agilis, gracilis, similis.

Veteri datum est ueterrimus.

Fuère inter Arborum nomina quædam,
quæ dum in prælio uiriliter agerent, de repente
miraculosè mutarunt sexum, Et ex fœmininis
facta sunt masculina, mirantibus omnibus qui

Ostensa est
de & fortu-
na uerborū,
Nunc eadē
nominum res
censet.

Et primo e-
numerat ea,
quibus ali-
quid ablatū
est eo bello.

†

Per magis
ista suum for-
mabunt com-
paratiuum.

Pulchrè oī
stēdit arbo-
rum nomina
esse fœmininū
generis Ex-
ceptis his, ru-
bus, Oleaster,
frutex.

B E L L V M

aderant, Ex quibus erant Rubus & Oleaster, que Liuius, ut monstrosa & mali ominis, mergi, aut Grammaticæ solo prorsus extirpari suadebat. Verum rex Poëta, nimiam illius superstitionem irridens, prohibuit, inquit, non esse mali ominis, foeminas in uiros mutari, quando ex malo sexu in optimum fiat ista conuersio.

Perpicuum est, atrox fuisse prælium inter Nomina Heteroclitia & uerba Defectiua, quandoquidem utrinque multa desiderantur.

†
Enumerat Heteroclitia genere tantum.

Porrum.
Frënum.

Quibusdam Heteroclitis nominibus, ubi cum defectiuis uerbis pugnarent, abscissi sunt omnes testiculi cum pene in plurali numero, quem casum Deus à nobis auertat. Deincepsque in eo numero, neque foeminina suere, neque masculina, sed neutra, quod certè miseratione dignum fuit. † Nomina eorum hæc sunt, Sibilus, Aucranus, Balteus, Carbasus, Dindymus, Gargarus, Hismarus, Infernus, Locus, Menalus, Supparus, Tartarus, Pergamus, Supellex. Alia feliciorum successum sunt sortita. Nam cum in eodem plurali numero essent Neutra, cum maximo ipsorummet gaudio, continuo Masculini generis apparuere, ut coelum, frenum, filum, porrum, rastrum. Enimuero porrum & frenum, dum Romæ per emporium agonis transirent, reperta ibi sua Neutra pluralia, grandi pecunia redimere, illisque uti maluere, Masculino genere repudiato.

Balsamum

GRAMMATICALE.

Balsamum ex omnibus Arborum nominibus, solum remansit neutri generis, Vnde est quod cum nec generare, nec parere queat, tanta illius est raritas, ut unico in Iudæo solo reperiat, id quod ipsa arbor ægrè ferens, in lachrymis omnem suum fructum in læta reposuit.

Balsamum.

Alia nomina Neutro plurali spoliata, scilicet minimum accipere, ut epulum, delitium. Quædam omnibus casibus in plurali spoliata, deinceps mutilata & manca remansere, Inter quæ Aër, æther, fumus, finus, limus, mundus, pontus, sol, sal, sanguis, puluis, &c. quæ omnia masculini generis sunt. Soles tamen apparere aliquando, sed cum id accidit, contra naturam fuit, & pro prodigio habitum est.

Enumerat Heteroclitra genere & declinatione.

Enumerat Defectiva nomina masculina singularia tantum. Soles.

Similiter & fœminina nonnulla pluribus casibus truncata sunt, ut sunt fama, fames, gloria, humus, lux, labes, mors, pax, proles, lues, salus, sitis, tellus, tabes, uita, indoles, soboles, sœnecta, iuuenta.

Enumerat Defectiva fœminina singularia tantum.

Quædam alia fœminina omiserunt in eo bello omnem numerum singularem, scilicet, argutie, bigæ, blanditiæ, cunæ, delitiæ, exequiæ, exuvia,

Enumerat Defectiva fœminina pluralia tantum.

B E L L V M

uia, excubia, facetia, genæ, lachrimæ, latebræ, minæ, phalæ, habenæ, insidiæ, &c.

Defectiua
neutra singu-
laria tantum
enumerat.

Nonnulla Neutra toto plurali numero ex-
uta sunt, ut *coenum, foenum, eum, solum, pus,*
& *uirus &c.* Insuper alia Neutra, totius sin-
gularis sui numeri, iacturam sunt passa, scilicet,
*Arma, castra, cunabula, crepundia, exta, mœ-
nia, magalia, pascua, ilia, præcordia, sponsa-
lia, &c.*

Defectiua
neutra plura-
lia tantum
recenset.

Et ferè omnia Nomina Festorum: ut *Satura-
nalia, Dionysia, Bachanalia, Floralia et Neptuna-
nalia.*

Urbium no-
mina plura-
lia tantum
exprimit.

Nomina ea uana, quæ semper plura dicunt,
& tamen unum solum significant, amisso omni
singulari, fuga elapsa sunt, sicut *Venetia, Pisa,
Cumæ, Athenæ & Thebæ.*

Metallorum
nomina plu-
ralia carentia
recenset.

Nomina Metallorum omnem pluralem nu-
merum amisere, ut *aurum, argentum, Orichal-
cum, Plumbum, Ferrum & Stannum.* *Æs uix
era retinuit.*

Quæ mensu-
rantur et pō-
derantur ca-
rent plurali.

Sed & *oleum & frumentum, similem cla-
dem accepere.* Alia extremis suis membris, ge-
nitivis scilicet & dativis pluralibus mutilata,
remansere, ut *iura, thura, ora, maria & fora.*

Postquam re-
censuit no-
mina quibus

Sed nec omnia nomina in eo bello iacturam
fecere. Fuere siquidem quàm plura, quæ spolijs
hostium

GRAMMATICALE.

hostium ditata, maiorem exinde auctoritatem
obtinuere. Ex quibus quedam ultra primum
nominatiuum, alium etiam adepti sunt, ut arbor
arbos, honor honos, labor labos, odor odos, cu-
cumer cucumis, ciner cineris, puluer puluis,
Que tamen duo ultima ambobus nominatiuis
non induuntur quotidie, Sed quod conspicuum
& ornatius est, & ex preda habuere, ad dies
reseruant celebriores & festiuos.

aliquid abla-
rum est. Nunc
ea enumerat
quibus ali-
quid accre-
uit.

Plaga ultra primum significatum, quod
uulnus siue percussione[m] significat, tres alios
sensus accipit, uidelicet, ut pro rete accipiat,
pro spacio cœli uel terræ, & pro linteo candido,
quo Romanæ etiam nunc utuntur matronæ, dum
in publicum prodeunt. Ops ab ea die tres sensus
habet. Nam ops terram significat, sub ope auxi-
lium præbet, sub opibus diuitias.

Plaga

Ops

Gerundia & Supina, quoniam toties trans-
fugerant, multata sunt post confectam pacem,
ab utroq; rege, Orante contra eos Demosthene,
Legesq; Solonis proferente, quibus statum fue-
rat, omnibus patriæ honoribus priuandos esse
eos, qui seditione in ciuitate exorta, neutri par-
ti adhæsissent, quoniam priuatis fortunis, plus
iusto

Gerundiorū
voces sunt
tres, Di, do
dum
Lex Solonis.

C †

iusto

B E L L U M

Supinorum
voces sunt
duæ, um & u.

Demosthenis
avaritia.

iuſto proſpicientes, publicas patriæ res deſpe-
xiſſe uidebantur, Et uiuebatur tunc quidem, ut
plurimum in Grammaticæ terris, Atticis legi-
bus. Caſus igitur omnes, præter tres, gerundijs
adempti ſunt. Supina uerò duos tantum retinere,
re, ægrè id ferentibus uniuerſis Grammaticæ
incolis, carpentibusq; maledictis non tam Solo-
nis indiſcreta præcepta, quàm Demosthenis im-
piam loquacitatem, Dicentibusq; illum fascias
& lanam domi reliquiſſe, nec gutturis morbum
ſimulaſſe, quoniam à Gerundijs & Supinis non
fuerat Mide aurum, ſicut ab Harpalo quondam
accipere.

Quicquid ergò in omnibus Grammaticæ
terminis auctum diminutumue reperitur, Ex
illo cruento, execrabili, & funeſto bello proces-
ſiſſe, manifeſtum eſt.

Cæſis utrinq;
multis, tan-
dem de pace
cogitant.

Poſteâquam igitur utriuſq; partis legio-
nes in caſtra reductæ ſunt, deſideratorum ſau-
ciorumq; cenſu habito, Intellecta utrinq; clade
accepta, omnes paſſim ingemuere, queſtiq; acri-
ter ſunt, quod nimia dominandi libidine, rebus
proprijs tantum cladem intuliſſent, Et poeniten-
tia ducti, quiq; eorum, quæ pacis ſunt, enixius co-
gitabat.

Primum

GRAMMATICALE.

Primum uerò rex Nominum Poëta, aduo-
cata contione, non sine lachrymis ita locutus
perhibetur. Scire uos arbitror, commilitones
mei, quàm inuitus pro decore, proq; amplitu-
dine (ut tunc arbitrabar) & nominum tuenda
autoritate, contra fratres nostros, uerborum
gentem, arma susceperim, quantisq; satagerim
modis, ut illis nobis cedentibus, ciuilia bella lon-
gius submouerint,, Verum cum non tam nostra,
quàm uerborum etiam metior damna, cum utri-
usq; partis strages intueor, flere magis libet
quàm loqui, Operæpretium fuerat reminisci,
quæ de Græcorum Romanorumq; ciuilibus odia
is bellisq; scripserint ciues nostri, quantis eorum
ambitionem lacerauerint probris. Profectò ea
si in mentem uenissent, nunquam in tantam in-
saniam à nobis processum fuisset, nec ira & fu-
rore obcæcati, quid ageretur non intelligentes,
nostramet uiscera proprijs manibus discerpis-
semus. Sed præterita (ut ille inquit) magis
reprehendi possunt quàm corrigi, Et melius est
regredi, quàm malè cepta sequi, Si ferro decer-
nere perreximus, si in finem usq; insanire uolue-
rimus, actum sane est de Grammaticæ imperio,
Tantaq; ignorantie & Barbarismorum genti
fiet accessio, ut nemine obstante, nemine eorum

Oratio regis
Nominum.

C 5 temeri-

BELLVM

temeritati obuiam eunte, ubiq; ipsi pro animi
libidine dominari ualeant. Quocirca, Commi-
liones optimi, ut utriusq; regni utilitati consu-
latur, Vltrò à Verborum rege pacem petendam
censeo, ultroq; dextras porrigendas, Neq; hoc
dixerim, quòd labar animo, quòd timore concu-
tiar, Sed quoniam luce clarius cerno res no-
minum, uerborumq; non sine mutua, stabili &
inconcussa animorum concordia posse consiste-
re. Fungor ego officio meo, ea adducens, quæ
communem salutem concernere minimè dubito,
Audacter nihilominus quod uolueritis, execu-
turus, Vos itaq; quod facitis, deos omnes fortuna-
rare uelim.

Magno o-
mnium ap-
plausu in re-
gis nomnum
sententiam
itum est.

Placuit mirum in modum uniuersæ contio-
ni, non utilis minus quam oportuna sui regis ora-
tio. Omnesq; militum ordines ingenti sublato
clamore, ut, quod rex tam sapienter suaserat,
sine mora exequeretur enixius petière.

Confecta pa-
ce eliguntur
triumuiri.

Missi itaq; in uerborum castra legati, ex
nominibus prudentiores, absq; aliqua difficulta-
te, constitutis primum inducijs, in hãc postremo
cum uerborum rege, eiusq; proceribus, deues-
uère sententiam, ut scilicet tres eligerentur uir-
ri omnis

GRAMMATICALE.

ri, omnium Grammaticæ rerum periti, quorum
decisioni & arbitrio, utraq; pars stare debe-
ret.

Demandatum est igitur id munus Priscia-
no, Seruio & Donato, cunctis approbantibus,
qui partis utriusq; iuribus auditis, re inter ipsos
accuratiùs considerata, hanc postremò senten-
tiam protulêre.

Quòd Grammaticæ Regibus, Satrapis, Ci-
uibus, studiosisq; uniuersis, faustum felixq; sit, Sententia
definitiuâ
trium viror-
um.
Nos triumviri tollerandarum litium causa, con-
stituti, Omnes contentiones, maledicta, iniurias,
damnaq; quæ in hanc diem, inter Grammaticæ
reges eorumq; milites interuenêre, reuocamus,
tollimus & obliteramus, Etsi obliuioni tradi
nequeant, at saltem silentio tegenda decernimus,
statuimusq; ut de cætero in conficienda oratio-
ne solenni, uterq; Grammaticæ Rex, cum suis
sequacibus conueniat, Verbum scilicet & Nos-
men, Participium, Aduerbiu, Præpositio, In-
teriectio & Coniunctio. In quotidiana uerò &
familiari oratione, soli, Nomen & Verbum onus
sustinebunt, arcessentes in patrocinium suum,
quos ex suis uolent, cæteris parcentes, ne toties
citati nimis grauentur.

In ora

BEL LV M

In oratione uolumus Nomen Verbo supponi, Et cum apponitur, à uerbo nomen regi debere decernimus, quantum ad casum, quantum uerò ad personas, & numeros, uerbum supposito cedere. Item uolumus quod Participium reueratur Nomen & Verbum, habeatq; regimen sui uerbi, Si uerò necessitas urgeat, concedimus soli uerbo, ut in prima & secunda persona, & in quibusdam uerbis exemptæ actionis, in tertia persona faciat orationis sensum, semper tamen subintelligendo nominis auctoritatem, sed non exprimendo.

Hæc itaq; sententia, partibus præsentibus lata est atq; promulgata, receptaq; ab omnibus Grammaticæ incolis, miro omnium ordinum consensu. Quam etiam omnia Italiæ & Germaniæ gymnasia approbauêre, Studium uerò Parisiense cætera recipiens, hoc suis prouincialibus speciale reseruauit, pronuntiandi scilicet tam uerba quàm nomina liberè, & sine aliqua syllabarum quantitatis discretione.

Post hæc ignorantia studiosos omnes, Barbarismorumq; gentem ridiculam, inuiolabili decreto omnibus Grammaticæ finibus submouêre,
Sed

GRAMMATICALE.

Sed tamen barbaros quorundam principum fauore protectos, non Italia modo, sed & Germania ipsa, nunc bonarum literarum parens, uel inuita tueri perseuerat.

Inter quos, nonnullos etiam præbendis pinguioribus honestatos, rudes adco & imperitos reperies, ut si eos interrogas, Amo quæ pars è dicturi sint. Parla che te intendo, Vsq; adeo mulas ipsas, quibus tam sublimes uehuntur, in scitia & obesitate animi, supergrediuntur.

Loquere ut intelligam.

Prædictis insuper arbitris, omnium consensu, irreuocabilis potestas & perpetua censura data est, grammaticulos omneis Grammaticæ corruptores semilatinosq; & semigræculos, tanquam naturæ monstra inquirendi, puniendi, relegandi, omnemq; id faciendi, quod bonarum literarum cultum, augmentumq; conseruare animaduertent.


FINIS.


Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and includes some numbers, such as '12' and '13', which may indicate page or section numbers. The ink is very light and difficult to discern against the aged paper.



154725

(x2223567)





BELLVM
GRAMMA-
TICALE.

AD LECTOREM.

*Si vis Grāmaticæ cognoscere damna: libellū
Hunc lege, qui Bellū Grāmaticale sonat.*
I. K.



VVITEBERGÆ
Recusum per Clementem Schleich
& Antonium Schön.
1577.